



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab Anno Christi 1100. Usque Ad Annum 1143

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1762

VD18 90117999

§. 66. Epistolæ contra Arnaldum Brixensem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66385](https://nbn-resolving.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66385)

Primum itaque curandum esse credimus, Sæcul. XII.
 ut maturetur Episcopi electio, ne insolentia Remensis populi, quod residuum est, disperdat, nisi sit, qui furenti se se opponat. Ergo Samson eligitur de Mauvoisin, ex nobili Familia in Territorio Volcassino ortus, Archidiaconus Carnotensis, Archiepiscopi Rainaldi Antecessoris sui nepos; electum vero S. Bernardus Innocentio Papæ, tanquam Sacerdotem Sacræ Sedi addictissimum, & Archiepiscopali fastigio dignissimum, commendavit. Is Ecclesiam Remensem annis plus quam viginti rexit.

§. LXVI.

Epistolæ contra Arnaldum Brixensem.

Arnaldus Brixensis, Abaelardi Discipulus, ex Italia & Francia ejectus, Tigrum in Diœcesi Constantiensi se se re- *Sup. §. 55.*
 ceperat. Quare S. Bernardus datis ad Episcopum literis, monet; caveret a viro periculoso, cui austera vita ratio speciem aliquam auctoritatis ad errores suos in animos audientium insinuandos, & Abaelardi perversa dogmata defendenda, tribueret. Is enim nobilium viorum amicitia munitus in totum ordinem Ecclesiasticum & in ipsos Episcopos insurgeare audebat. Suadebat ergo Episcopo S. Bernardus, ut caperetur & in loco tutto custodiretur, quod Papa jam tunc, cum

ep. 195.

Sæcul. XII.
A.C. 1140.

ep. 196.

cum in Francia esset, jussisset, ne si inde solum expelleretur, per varias regiones vagabundus multo magis noceret. Quia vero fama ferebat, Arnaldum apud Guidonem, Papæ Legatum, versari, ad Legatum dedit epistolam, in qua dicit: *Vide te quæso, ne sub vestræ Auctoritatis umbra plus noceat, cum & artem habeat & voluntatem nocendi. Si verum est, quod vobiscum homo verisetur, alterutram bujus rei causam esse existimo; illum scilicet vobis minus notum esse, vel quod est credibilius, vos sperare, sic eum converti posse. Et utinam id non frustra, quis det de lapide hoc suscitare filium Abrabam? Sed si eum ad familiaritatem & mensam tuam admittas, secure annunciaribit, & facile persuadebit quæ volet, domesticus & contubernialis Legati Apostolicæ Sedis.* (*) *Haud immerito plane Summus Pontifex Arnaldum ejecit, addito mandato, ne unquam in Italiā, patriam suam, redeat. Qui igitur huic homini favet, Papæ, ideoque ipsi Deo adversatur.*

§. LXVII.

(*) In epistola præcedente CXCV. S. Bernardus ait de Arnaldo de Brixia: *Arnaldum loquor de Brixia.... & si vultis scire, homo est neque manducans neque bibens, solo cum Diabolo esuriens & sitiens sanguinem animarum.*